

623. Hinc patet, quid designet, quid praesagiat? & cur, quo majus initio frigus, eo periculosior febris? in peste incipiente frigus summum, praegressa calor maximus?

624. Id frigus omni eo, quod valide stimulat, quounque demum titulo, tentatum dedit saepe insanabilem postea inflammationem. Hinc salina acria, aromatica, oleosa, vesicantia, & similia, damnosa sunt.

625. Optime autem curatur potu aquae calidae nitrosae cum pauxillo mellis & vini; balneo, vapore, fotu, lotione per similem liquorem; frictione blanda.

626. Quibus (625.) statim applicatis saepe maxima mala illico curantur. (622.)

TREMOR FEBRILIS.

627. Tremor ponit muscularum vacillationem, inter tonum, & laxationem, causas tendentes & laxantes brevi, & involuntarie, sibi mutuo succedentes; influxus arteriosos & nervosos nunc contingentes, nunc absentes; adeoque initio morbi quietem utriusque liquidi; in fine saepe nimiam horum absentiam, post dispendia nimis magna.

628. Efficit diu perseverans impedimen-

I S ta

ta circulationi humorum , & vitia independentia.

629. Inde diagnosis , & prognosis ejus habetur , & liquet cur tremor cum frigore (621.)? cur ingens tremor adeo malus ? cur in animi affectibus majoribus tremor ? cur circa mortem ? cur ab evacuatione omni nimis magna ? cur a nimio potu quounque ?

630. Curatur restituto aequabili fluore & pressione liquidi arteriosi in arterias , cerebrosi & cerebellosi in fibras motrices : id obtinet in morbi initio usu eorum , quae lentorem solvant , vires redundunt (606. ad 617.) ; in fine autem per ea , quae liquida perdita subito restituunt , fibras roborant , & viscera (46. 47. 48. 49.)

ANXIETAS FEBRILIS.

631. **A**nxietas pro causa habet sanguinum ex corde egressum impeditum ; adeoque per fines pulmonales , aut Aortae impossibilem transitum ; hinc spasmus vasculorum contractorum , aut materiem inflamatam transire ineptam ; similia orta vidimus ex impedito trajectu cruentis per Venam Portarum ex iisdem causis ; unde , quum omnis sanguis venosus , a coe-